



Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

L. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. D. 10. S. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

§ 14 LIBER III. TITULUS L.
„inhibet Pontifex, ne quis impetratores
„literarum Apostolicarum vel alios in
„Foro Ecclesiastico litigantes vel litigare
„volentes, per se vel per alium ad de-
„fistendum, vel in Foro sacerdotali litigan-
„dum, capiendo illos vel res eorum aliis-
„ve modis, compellat aut procuret; quod
§. 12. & 13. sub Censuris reservatis in Bulla
Cœnæ districtiis inhibetur. C. 5. „Do-
„mini temporales, qui subditis suis, ne
„Prælatis aut Clericis quidquam ven-
„dant, aut emant aliquid ab eisdem, aut
„aliqua obsequia exhibeant, interdicunt,
„tanquam libertatis Ecclesiasticæ viola-
„tores eo ipso Excommunicationi sub-
„jaceant. Unde etiam juxta communem
Canonistarum apud Pignat. Tom. 3. Con-
sult. 15. n. 61. & seqq. Lac. L. 4. n. 1389. &c.
Statutum laicorum prohibens, ne bona
stabilia donentur aut vendantur Ecclesiis,
aut transferantur ad manus mortuas, est
iniquum, immunitati Ecclesiasticæ re-
pugnans.

T I T U L U S L.

*Ne Clerici vel Monachi sacerularibus ne-
gotiis se immisceant.*

Quia juxta Apostolum 2 Tim. 2. Nemo
milians DEO implicat se negotiis se-

NE CLER. VEL MONAC. SÆCUL. NEGOT. SE IMM. 515
cularibus, per Jus Canonicum varia Clericis sunt prohibita, ut: Postulare, L. 1.
Tit. 37. Varia officia exercere, sup. Tit. 1.
n. 5. c. 15. & seqq. Pro aliis fidejubere,
Tit. 22. &c. Hoc Titulo nonnulla specialiter Clericis prohibentur, nempe
I. In *Decret.* c. 1. „In placitis sæcularibus disputare, exceptâ defensione orphorum aut viduarum. C. 2. Esse ministros laicorum aut in rebus eorum procuratores. Quòd si postmodùm occasione administrationis propter pecuniariam causam à laicis capiantur, indignum est eis ab Ecclesia subveniri, in qua scandalum per ipsos generatum. Unde licet Clerici non possint propriâ voluntate privilegio Fori aut Canonis renuntiare, illud tamen ex juris dispositione ob certa delicta amittunt. C. 3. „Post factam in loco religioso professionem ad descendam medicinam vel Jus Civile exire. C. 4. Jurisdictiones sæculares sub Principibus sæcularibus, ut Justitiarios exercere. C. 5. Judicium sanguinis agitare. C. 6. Causâ lucri negotiari, de quo vide *Nucl. Theol. Exam.* 15. n. 4. §. 10. C. 8. Tabellionatûs officium exercere, in causis non spiritualibus, sed civilibus; Instrumenta tamen ab eis confecta de jure valent. *Gonz. b. c.* C. 9. „Sententiam

Kk 2 „ san-

516 LIBER III. TIT. L. NE CLERICI &c.
„sanguinis dictare, proferre, aut exe-
„cutioni illius interesse auctoritative; aut
„illam chirurgiae partem exercere, quæ
„vel adustiouem vel incisionem inducit,
putà per se; si enim Clericus medicinam
calleat, incisionem alteri committere
potest. C. 10. „Prohibitio C. 3. facta Re-
„ligiosis, ne exeant ad audiendum Le-
„ges vel Physicam, ad alios Clericos
„extenditur, ut apud hos Theologia
„studium ad defensionem fidei Catho-
„licæ amplietur.

II. In 6. C. 3. „Declarat Pontifex, eti-
„Clericis causas Sanguinis agitare non
„liceat, eas tamen, si jurisdictionem ob-
„tinent temporalem, debent & possunt
„sine periculo incurrendæ irregularitatis
„aliis delegare, de quo vide *Nucl. Theol.*
Exam. 33. n. 4. §. 6. Quia hæc difficultate
carent, hîc sit

F I N I S
LIBRI TERTII DECRETALIUM.



L I B E R